



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 43. de æternitate

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XLIII.

De quinto medio Meditationem atque affectus eius ampliandi, siue de Æternitate.

COMPOSITIO LOCI, ut in imagine. ORATIO, *ut supra.*

PUNCTVM I. Considera quod uti omnia flumina in mare unde ortum habent redeunt, ita omnia temporalia in æternitatem tendunt, & corruptibilia nonnulla incorruptionem expectant perpetuam; alia verò in nihilum suum revertentur, atque in eo perpetuò manebunt. Contemplare igitur velut è speculâ creaturas universas, & expende quàm brevi omnia transitura sint, velut umbra; tot flores, fructus, opera, animantia; ita ut numquam deinceps in æternum futura sint: oculosque ad te converte, certus quia, sicut illa, sic vita tua præteribit, eademque numquam, præterquam in iudicio, renovabitur. Sic Xerxes è monte exercitum maximum despiciens, & quàm brevis ævi totus ille futurus esset; attendens, illacrymari cœpit; Tu verò vanitate rerum conspectâ per hiemes & æstates mortem & vitam, despice ea quæ te à virtute avertunt & vide an non ad eam atque æterna oculos animumque convertere æquum sit. *Aspira, ut sup. pag. 8. Hæcine firmâ fide, &c.*

Creata omnia quàm caduca.

PUNCTVM II. Considera, quàm brevis sit vita, & ab eâ deinde pendere duplicem æternitatem: felicem & infelicem, & necesse esse alterutram sortiri: tuâque in manu esse jam virtutem N. sequi, & felicissimam comparare; aut certè vitium, & æternis ærumnis mancipari. Quid videtur agendum, & quid agis? Expende hîc quid sit illa æternitas, spatium scilicet temporis interminum, incomprehensibile, longissimum. Plures in ea non anni tantum, sed myriades, immò millenæ myriades numerantur, quàm sint cæli stellæ, arenæ maris, & pluvix guttæ, arborum flores, frondes. Atque adeò,

Æternitas quid sit.

Ejus longitudo.

P P

et si

*Aeternitas
durissima
malis.*

Marc. 9.

etsi quispiam ab exordio mundi ad finem usque, maximos annorum numeros supputaret, & quasi de aeternitate detraheret, numquam tot tantisque conciperet, quin aeternitas tota atque integra adhuc permaneret. Jam vide quantum damnatorum pœnas augeat aeternitas, in qua interruptio nulla, nullum ne quidem guttæ aquæ solatium, nullius terminus; quia vermis eorum non moritur. Descende tu vivens in infernum, lacumque intuere maximum, ardentissimum sulphure & pice, & intuere hominum myriades, & in iis Prælatos, sacerdotes & Religiosos, Reges & Monarchas, & vide v. g. quomodo Cain, aut dives Epulo, in sensibus singulis & mēbris torquetur. Deinde mentis oculo inspicere, quantus sit in animis istorum dolor, timor, pudor, desperatio, rabies, & furor inexplicabilis. Audi deinde amarissimos fletus & ejulatus, quæ maledicta in Deum bonosque omnes janciant impiâ flammivolâ linguâ. Pete ab horum aliquo quid de mundi gloriâ & deliciis sentiat, quomodo horulam impenderet ad salutem ex iis quas tu otio & fabulis perdis. Nunc verò odorare sulphureum illum & teterrimum odorem, & gustare quàm amarus sit calix iræ Domini. Hæc contemplatus in flammarum undis si quem illæ extulerint ad cōspectum tuum ut in lebetē fieri solet, percunctare quid in his omnibus maximè eos torqueat, & mox cum horrore, furore, stridore ejulās clamabit: Sola sola aeternitas. præ quâ illis omnia gravissima essent levia, & tormenta levamenta. Pete deinde quamdiu ibi fuerit, quamdiu erit, quod solatium exspectet, nullum inquiet. Et rursum vide ut in vorticem descendat, & resorbeat & volvatur in aeternum. Hæcine verâ? & si vera, ita vivo, quasi vera? ita contemno præsentia, ita ad virtutem in futura anhelō? O Rex Regum, &c. ut inf: pag. 596.

PUNCTVM III. Nunc verò ascende o anima in montem Sion, accede ad Pastorem tuum stantem in medio ovium suarum, paratum te amplecti, & aeternum inebriare

inebriare ab ubertate domus suæ. Vide sedentes sanctos in pulcritudine pacis, & requie opulentâ: ut in omnibus sensibus plenè sint beati, membrisque omnibus; audi suavisimum melos laudantium Deum & illos qui virtutem N. ad horam hinc sequuntur; ut possideant æternum quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Pete denique ab Angelo tuo, vel Patronis, quid de dolore, afflictione, humiliatione sentiant, quid de mundi deliciis, quidve in cælo post Deum eos magis exhilaret; & respondebunt cum exultatione incomparabili, quod pro horâ & momento obtigerit illis felicissima æternitas. O quanti videre Deum, & amare eum & adesse illi, & possidere omne bonum in æternum, securè & tranquillè frui omni bono & carere omni malo? Ergo sic ratiocinare tecum, & vide quo dementia veniat homo ut cruciatus æternos, & mortem eligat pro vitâ & gaudiis sempiternis. Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer Finge tandem, si libet, te ad horam beatum, vel quod absit damnatum; & tuum de virtute & vitio sensum explora.

Hæcine vera, &c. ut sup. pag. 7. vel *ô Deus meus*, ut infra pag. 596.

PUNCTUM IV. Considera hæc verba: Multi sunt *Matth. 20.* vocati, pauci verò electi: & vide quomodo connitendum tibi, ut inter Electos numereris constanti virtute, maximè humilitatis? Appende hæc verba: Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cùm autem intraverit Pater familias & cluserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes: Domine, aperi nobis. *LUCÆ 13.* Et respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis. Considera è contrario, quantopere Deus & Dominus noster cupiat omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quomodo sanguinem suum tibi præbeat in potum, & corpus in cibum, & omnia sua promittat, ut

aternum beatus esse velis, & ad horam cum eo laborare. *Credo tibi, ut sup. pag. 7.*

PUNCTVM V. Considera in omni actione, cogitatione, &c. alterutrius ex aternitatibus electionem instituendam: quidquid enim semel cogitatum, dictum factumve fuerit, aternum erit: quia infectum esse nequit. & iterum hominem illud aut beabit, aut cruciabit. Mature igitur & considerate singula opera perficienda sunt, cum regressus non detur, neque emendatio ejusmodi, ut praterita esse desinant; sed, sicut quidam dicebat, Pingimus, scribimus aternitati; laudabit aut vituperabit auctorem suum opus quodlibet aternum; etsi enim per poenitentiam peccata deleantur, non tamen innocentia restituitur.

*Semel factum
infectum
feri nequit.*

Exercitium brevius.

O Rex regum, credo tibi & in te spero, & te toto corde diligo. O aternitas, aternitas felicissima & infelicissima, qui te novit quid sis, & quid non sis? quando coeperis, quando terminaberis, oceane infinite? quis de te cogitat, & libet ei ad momentum ridere, & aternum flere? quis credit te sequi nos, & non properat, in virtutis stadio, ut consequatur bravium, quod mihi tu es unum, & eris Rex saeculorum immortalis & invisibilis, Christe Jesu: O felix labor, quem tu aterna requies; felices lacrymae, quos aterna gaudia; felix luctus & tribulatio, quam excipit aterna gloria! & tua, o Jesu, infinita charitas. Nemo, nemo credere videtur, aiebat quidam. O Rex regum, qui factus es mortalis ut ego essem immortalis, natus es in tempore ut viverem aternum; Dirige, quaeso, sic actiones meas, & studia mea, ut eligam aterna pro momentaneis, & amore tuo uri, & frui omni bono, quam flammis deputari aternis.

Exercitium longius.

O Deus meus, aterne, incomprehensibilis, Alpha & Omega, principium & finis, sine principio tamen & fine, & a fine ad finem pertingens. Regnum tuum regnum omnium saeculorum, & domi-

& dominatio tua in generatione & generationem. Priusquam
 montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à saculo usque in
 saculum tu es Deus. Et quamvis omnia sicut vestimenta vete-
 rascant, tu idem ipse es Deus meus, & anni tui non deficient.
 Non est apud te transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.
 Nos verò quid sumus vasa figuli, opus manuum tuarum, vapor
 ad modicum parens, quasi flos egredimur & conterimur, & fu-
 gimus velut umbra, & nunquam in eodem statu permanemus,
 qui hodie sumus, & cras non comparemus, & sumus tamen ater-
 num, eternum victuri. Sed ubi? ubi? ubi? tu nosti, utinam tecum!
 Et verò tecum si te jam sequamur, & consilia hac tua N. uti
 optabimus in omni eternitate.

Psal. 114.

Psal. 89.

Psal. 101.

Ingemiscimus, sicut omnis creatura, donec corruptibile hoc
 induat incorruptionem, & mortale induat immortalitatem. si-
 quidem cum ad modicum vivere hic detur, ad perpetuam vitam
 suspiramus, sed viam aut ignoramus, aut cognitam, heu! dere-
 linquimus. Que enim ea est, nisi insistere vestigiis tuis, qui es via
 in exemplo, veritas in promissa, & vita sempiterna in premio,
 cum venerit tandem, & illuxerit dies illa eternitatis? O quanto
 gaudio, quam inenarrabili tunc explebimur, si te & virtutem
 secuti fuerimus, & obedi verimus voci tue! O quam volupe erit
 post sacula plurima, illud integrum superesse! postquam torrente
 voluptatis tue potati erimus, oceanum bonorum restare, & pe-
 lagus inexhaustum, & fontem eternum! O felix esuries & sitis,
 quam ejusmodi suscepit satietas! O felix contemptus, quem ater-
 nus honor exaltat! O felix dolor, & virtutis labor, quem re-
 quies & gaudium sequitur! Quam dilecta tabernacula tua,
 Domine, virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria
 Domini, & momentaneum & leve videtur omne tribulationis
 nostræ, quod eternum glorie pondus operatur in nobis.

I. Cor. 15.

Verumtamen, quia nescit homo amore an odio dignus sit, ti-
 mor & tremor venerunt super me, & quantum tua gloria eter-
 na invitat, tantum terret poena sempiterna. Habeo tamen, ha-
 beo, & gratias ago tibi toto corde meo, ô Charitas mea, habeo
 futura glorie pignus, toties iteratum corpus & sanguinem tuum.
 Et hoc tota fiducia mea, tota, dixisti enim, & fallere non potes:

Eccli. 9.

Psal. 45.

 Applicatio
 ad Com-
 munionem

Ioan. 6.

hic est panis de calo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis qui de calo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Igitur in fortitudine cibi huius, quo hodie frui spero, & ardeo, pergam ad montem tuum, ad montem Dei Oreb. ibo de virtute in virtutem, donec videam te Deum deorum in Sion.

Peregrinus adhuc sum & advena, fateor, fateor, & heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea. Quid agam: ingrediar momento hoc vita labilis in domum aeternitatis mea, & annos aeternos in mente habebo. Et quorsum? certe ut te amem in aeternum, qui ruiturum millies in aeternas miserias, servas. Conservasti me verè pra millibus, ut ego aeternum, aeternum benedicam nomini tuo in saeculum, & in saeculum saeculi. O quid felicius felicissima aeternitate, quid infelici infelicius potest cogitari? cuius cogitatio poena est acerbissima; cuius duratio, tormentum gravissimum, cuius nomen terribilium omnium terribilissimum. O quam rara es, quam rara es in mentibus hominum! Cui, JESU bone, salus mea, spes mea, cui liberet ad momentum, ad modicum ridere, ut aeternum fletet? Quomodo abdicare per virtutem momentaneum mundi solatium, grave erit ei, qui aeternitatem cogitabit? Cui durus virtutis labor est futurus, qui praemia aeterna intuebitur? Aeterna offers gaudia, honores, ô aeterna Veritas; momentanea fallax mundus. quid elegisse in omnem opta vero aeternitatem: Quid Epulo eligeret, tot annis guttam aquae flagitans in tormentis, sed frustra? magnum chaos est inter infelices illas & felices animas, & peccato vel uno, aeterno carcere conclusa sunt: frustra horam optant ad salutem, qui tot annis obduraverunt corda sua ne cognoscerent vias tuas, quibus iurasti in irâ tuâ, si introibunt in requiem tuam. Da mihi, benignissime Deus, sic novissima aeternitatemq; eorum considerare, ut in saecula saeculorum laudare te possim potius, quod horresco cogitans, quam te, quem hodie amantissimè expecto in cibum & solatium aeternum, qui me sic amasti, & amas, odisse & blasphemare. En optio mihi datur, tu elige, quaeso, pro me, ut diligam te. Quid enim possum absque te: perire, & hoc solum. Et potero coram te spectante te: ô spes! ô fiducia mea! angustia

Lue. 16.

Psal. 94.

gustia mihi sunt undique, hoc solum habeo residui ut oculos dirigam ad te, & cum optio mihi detur, & alterum ut eligam necesse sit, da mihi ut cum liber sim eligam, cui vivo & moriar, in omnibus operibus, verbis, & cogitationibus potius æternum gaudere, propter te, quàm lugere & pœnitere. Scio, semel facta, dicta, cogitata, æterna omnia sunt, infecta numquam futura sunt, sed aut æternum illa coronabis, aut certè quod absit, cum dolore tuo, & perditione æternâ meâ vindicabit illa æternum iustitia tua. Obsecro, Domine, per misericordiam tuam, ut sic opera mea perficere possim, & virtutem sequi, quemadmodum in omnem æternitatem optabo, & optabit æterna bonitas tua. Amen.

*Praxis, ut æternitatis memoria altè menti
infigatur.*

PRIMA. Sape in creaturis earum attende vanitatem, ac certò tibi persuade, si aliquam earum abnegaveris, quòd pro temporali æternam habebis verbi gratiâ, si honorem, si nummum, si commodum aliquod corporis, si voluntatem propriam in re qua piam propter Deum repudiaveris, non perdidisti; sed, cum temporalia essent, imò momentanea, æterna effecisti. Valdè est efficax ejusmodi exercitium, & præsertim si crebrò usurpetur reipsâ, vel mente representetur. Verbi gratiâ, afficeris inordinate huic codici, imagini, domui, agro, liberis, finge tibi hæc eripi à Deo, vel illum abs te perere ut æternum servet, ut æterna afficiat. Ita enim verè contingit: & quæ nos in viâ Dei impediunt ob nimium amorem, providus parens aufert à nobis, ut pueris cultum, vel crepundia, ut pro iis æterna reponat. Neque tantum voluntate ea abnega, sed reipsâ cum id potes, aut eleëmofynam dando, aut cedendo, aut contumeliam tolerando. Hoc exercitium, uti vides, resignationem continet, quæ perfectionis uti est argumentum, ita etiam ad illam singulare auxilium. Poteris ergo utiliter illud exercere circa omnia quæ possides, ut in omnibus ante pugnam præludas. Imaginare tibi imperandum, ut locum mutes, officium, habitationem, ut vitæ adeas periculum; & mox resignato, immò libenti animo hæc ipsa tecum Deo offer, non veluti illa perditurus, sed facturus ut æterna sint ea quæ amas. Quod enim de animâ Salvator noster dixit, Qui perdidit animam suam inveniet eam, in omnibus aliis valet. Néque tantum in futuris te exerce, sed etiam in præteritis, in quibus repugnantem expertus es voluntatem, ut eam corrigas, & ad meliora inclines.

Vide uti facere queas qua temporalia æterna

Deus eripit ut servet tibi.

Resignationis praxis.

Nota exercitium.

*Quid ante
actionem
sit cogitan-
dum.*

*Quid post-
eam.*

Secunda Ante omnes actiones hanc considerationem praemitte, numquam infectas esse posse cum semel factae sunt: & provide ut tales sint, quales aeternum optabis fuisse.

Tertia. Post actiones peractas, easdem recognosce, & expende orationem, sermonem prolatum, quidque jam ad momentum factum vel cogitatum est, euasisse aeternum: quia cogitata, dicta, aut facta semel, infecta esse nequeunt.

Dignatus es, ut supra pag. 10.

JACULATORIAE.

Psal. 143.

Psal. 102.

Psal. 145.

Psal. 38.

Psal. 36.

Homo vanitati similis factus est dies ejus sicut umbra praeterit. Homo sicut foenum dies ejus, tanquam flos agri sic effloret.

Exibit spiritus ejus (scilicet hominis) & revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te: verum tamen uniuersa vanitas omnis homo uiuens. Verum tamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur.

Novit Dominus dies immaculatozum: & hereditas eorum in aeternum erit.



VIGE-



XVIII

22

VIGESIMÆSECUNDÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Attende exempla Sanctorum, & dicta eorum de N. virtute tibi propositâ.

VT potentiùs ad virtutem excitere, quare & A
sectare exempla Sanctorum, maximè Patro-
norum, ac B peccatum hinc te abstrahens detestare.
Expende quid de eà virtute senserint, scripserint,
ut eam coluerint C Spiritu sancto impulsî. Omnis
virtutis exemplar optimum D Mater Dei Ma-
ria, zeli ac studii orationis E Paulus, pœnitentiæ F
Hieronymus aut Antonius, patientiæ G Martyres.
Vide etiam quid H Philosophi in umbrâ I virtu-
tis solùm versantes, de eà senserint, ut eam exer-
cuerint. cur hos non imitaris? Viri Ninivitæ, ait
Salvator, surgent in iudicio cum generatione
istâ, & condemnabunt eam, quia pœniten-
tiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce
plusquam Ionas hîc. Atque idem de Reginâ
Austri, quæ venerat à finibus terra audire sapien-
tiam Salomonis, asserit: idem de Philosophis omni-
bus accipere debemus, & eorum umbratili virtute
ad veram nos stimulare.

Pp 5 CAPVT